Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

[Theologische Traktate, gedruckt und handschriftlich] - Cod. Rastatt 23

Verardus, Maximilianus

[S.l.], [Ende des 15. Jahrh.]

Eiusdem elegia qua fides fernando et helisabe gratias agit quod eorum opera Maurorum cathenis fuerit liberata; Magnanimi proceres [...]

urn:nbn:de:bsz:31-284137

Visual Library

Quo Fernande tuis meritis reddatur honores
Phoebus et gestis: et premia digna labori:
Unde tibi dabitur divorum accumbere mensis.
Hic tu conspicuus venero comitatus amore
Coniugis: asperta superum: liquidoque frueris
Nectare: et ambrosia: non dignus honore minori.

EIUSDEM ELEGIA QUA FIDES FERNANDO & helisabe gratias agit quod eorum opera Granatensi cathenis fuerit liberata

Magnanimi proceres: tuque o placidissima turba
Accipe si quis sim noscere forte cupis
Nuncupor alma fides totum veneranda per orbem:
Omne potens firma pace ligare genus.
Nam si recte colar: procedunt omnia recto
Ordine: consumitque martia tela situs.
At si deficiam: rerum confusus et ordo
Deficiat: solis luna tenebit iter
Sed tamen heu quid non mortalia pectora temptant?
Heu miserum quid non mens furibunda cupit?
Maurus ad infandas leges Magmetis: iniqua
Ausus erat populos vani vocare metus.
Tunc ego granatae (fuit haec non dextera quondam
Terra mihi) a diro principe capta fui.
Hic igitur pedibus foedis oppressa tenebar
Multa ferens tanta non toleranda dea.
Verum haec haud passi fernandus et inclita coniunx

Helisabe: collo diripuere iugum
Que his ducibus tandem posito squalore: resumo
Preteritam formam: splendidaque ora gero.
O Fernande potens! o femina digna marito
Helisabe tali: pectora grata deis
Per vos en veteres tandem renovamus amictus:
Cingimur en rutilas flore recente comas.
Cernimus en nitidum vestroque munere celum:
Oraque: que fuerant nubila: clara nitent.
En redolet crinis madido perfusus odore.
Stringit et exaltum pulcra corona caput.
En licet articulis nitidos numerare capillos:
En redimit collum grande monile meum.
En ego: que dudum fueram subiecta tyranno:
Europam teneo nunc dicione mea.
Quin etiam his ducibus (sic stat sententia patris
Aetherei: iustus qui pia facta videt)
Tempus erit cum iam libyis spaciabor in arvis:
Perque asiam nullo prepediente ferar.
Regibus his igitur meriti celebrentur honores
Qui mihi constantes exoluere manus.
Cui totum nostris subdentque legibus orbem!
Magna qua tellus: qua freta lata patent
Post ubi prescindent fatalia stamina parce:
Scandet in ethereos letus uterque domos.

Finis
1.4.9.3.